



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Petrus M. 29. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

S. PETRUS M. 29. Aprilis.

PETRUS Veronæ parentibus hæreticis ortus, septimo ætatis anno duodena credendi capita in scholis perdidicerat, itaque fixa animo retinebat, ut nullis unquam imperiis ad eorum veritatem improbandam compelli posset. Institutionem deinceps D. Dominici per vitam sectatus, speciosum Prædicatoris nomen rebus æquavit: quippe tanto populi studio frequentiaque concionabatur, ut ægrè per confertam multitudinem sellâ gestatus evaderet in fuggestum. Dicta factis & prodigiis affirmavit, ut validissimâ persuadendi ratione. Valuit præcipue adversus devios ab Ecclesiæ fide, vim contrariam paternæ prefidiæ sortitus. Fuit, cum à Deiparâ, quod olim à Servatore cognominis Apostolus audit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Quo patrocinio constantiam tenuit usque ad sanguinis vitæque jacturam: etenim lethalibus aliquot illatis ab hæretico vulneribus, repetens Catholicæ veritatis à magistro instillatæ confessionem, unam mortem plurimis de sacrilegâ sectâ palmis repensavit, ad annum Christi M. CC. LII. Subinde conspectus est in cælo, Mariæ, cuius ope illuc evectus erat, lateri adjunctus: quodque viventi jam concederat Deus, post fata

29. April. VITÆ SANCTORUM. 274  
fata insigni miraculorum famâ illuxit.  
Tantum interest à teneris cum recto ve-  
rum combibisse, quibus semel imbuta  
mens, ut vasa recentia, odorem primum  
servabit. Ex Suriō.

Nullæ sunt majores divitiae, nulli thesa-  
ri, nulli honores, nulla mundi hujus major  
substantia, quām est fides Catholica, quæ  
peccatores homines salvat, cæcos illuminat,  
infirmos curat, catechumenos baptizat, fi-  
deles justificat, pœnitentes reparat, justos  
augmentat, Martyres coronat. S. Aug. fer.  
1. de Verb. Apost.

S. HUGO ABB. 29. April.

HUGONEM Ecclesiæ Burgundia, prin-  
cipe natum familiâ, protulit. Hic,  
adversis parentibus, eò perfugit, ubi  
splendorein à Majoribus tractum humi-  
lis familiæ consortio celaret. Capiti di-  
vinus spiritus, columbae sp̄cie conspi-  
cuus imminere visus: unde vim ad mira  
perpetranda singularein haussisse persua-  
sum. Nam & in secreto humanorum pe-  
ctorum mentis obtutum figebat, &  
morbis cuiuscunque generis medicinam  
de cælo parabat. Habebat Sanctius in  
vinculis Alphonsum fratrem Hispaniæ  
regem, cuius libertatem cùm Hugo sup-  
plex à fratre postulasset, D. Petrus cœ-  
nobitæ cuiquam indicavit, HUGONIS  
apud Deum preces momentum ha-  
buissse,